in locutionibus quales sunt »et dixit et fecit" »et vidit et fecit" faciendi verbum peculiarem habet significationem hanc, ut dicatur aliquis facta adiunxisse et accommodasse ad verba, ad animi sensum. Exemplum est in § 86. »Hoc sentire prudentiae est, facere fortitudinis: et sentire vero et facere perfectae cumulataeque virtutis". Hanc verbi vim non perspexit qui addidit »ut ius experiretur, vim depelleret". Si perspexisset, intellexisset faciendi verbi ita nisi absolute poni non posse.

In sequenti § 93. nomina Gabinii et Pisonis interposita vim orationis mirifice frangunt cursumque retardant.

§ 113. »Fuit collegium nuper tribunicium in quo tres minime, duo vehementer populares existimabantur. Ex iis qui populares non habebantur — duo a populo Romano praetores video esse factos —; iam de C. Fannio — quod iudicium populi Romani in honoribus eius futurum sit nemini dubium esse debet. Quid? populares illi duo, quid egerunt? Alter — non tenuit eum locum in quem, nisi popularis esse voluisset, facile pervenisset. Alter — aedilitatem petivit cum bonis viris et hominibus primis, sed non praestantissimis opibus et gratia: tribum suam non tulit, Palatinam denique — perdidit". Non agitur de actionibus popularium tribunorum, sed de fructu dignitatis quum ex studio populi perceperunt. Itaque suspicor Ciceronem scripsisse: »Quid populares illi duo"? sine »quid egerunt".

CICERO PRO MURENA XIII. 29. XVIII. 40. ET XXII. 46.

Mendum alitur in verbis Tullianis pro Murena XIII. 29: »Ut aiunt in Graecis artificibus eos auloedos esse qui citharoedi fieri non potuerint, sic *nonnullos* videmus qui oratores evadere non potuerint eos ad iuris studium devenire." Vitiosa est ver-

borum compositio *nonnullos* — *qui* — *eos*. Aut enim *nonnullos* pessime abundat aut *eos:* nisi forte putas in iis, quae praecedunt, scribi potuisse: »*eos nonnullos* auloedos esse qui citharoedi fieri non potuerint." Latinitas enim postulat ut *eorum nonnullos* dicatur, sententia requirit ut nemo excipiatur et *nonnullos* prorsus omittatur. Aliquam opem fert Quintilianus VIII. 3. 79. e Cicerone hunc locum sic afferens ut pro *nonnullos* exhibeat *nos:* »sic *nos* videmus qui oratores evadere non potuerint" cet. Periit unum vocabulum quod si restitueris eadem opera et compositionis labem tolles et necessariam oppositionem revocabis. Subiiciam duos locos ubi id ipsum legitur quod Ciceroni reddendum esse censeo. In praefatione Cornelii Nepotis dicitur: »Laudi in Graecia ducitur adolescentulis quam plurimos habere amatores. — quae omnia apud nos partim infamia partim humilia atque ab honestate remota ponuntur." Cicero ipse dixit in Tusculanarum initio: »An censemus, si Fabio laudi datum esset quod pingeret, non multos etiam apud nos Polycletos et Parrhasios fuisse?" Eodem igitur modo etiam in Mureniana dixerat: »Ut aiunt in *Graecis* artificibus —, sic *apud nos* videmus qui oratores evadere non potuerint eos ad iuris studium devenire."

Expunge fatuum additamentum XVIII. 40. e verbis: »Delectant homines, mihi crede, ludi etiam illos qui dissimulant, [*non solum eos qui fatentur*]." Admonitus, spero, mihi dabis, quod Cicero scite dixerat, assuto hoc panno et inficetum factum esse et ne Latinum quidem.

Lenissima medicina subveniri potest loco male habito XXII. 46: »Tu quum te de curriculo petitionis deflexisses animumque ad accusandum transtulisses, existimasti, te utrique negotio satisfacere posse? Vehementer errasti." Lege EXISTIMANSTE pro *existimasti te* et locum sic constitue: »Tu quum — transtulisses, *existimans* te utrique negotio satisfacere posse, vehementer errasti."

Lineola de more pro littera N posita in vetere scriptura EXISTIMĀSTE pro *existimans te* librarium in errorem impulit.

C. G. C.